



Ex Aedibus Vaticanis, die 12 Aprilis 1962

N. 81101

Exc.m^e atque Ill.m^e Domine,

Egregie sentientis animi tui indicium Beatissimo Patri nuper edidisti, cum Ipsi omni cum reverentia humanissimas misisti litteras, ut, nomine quoque sodalium Collegii Ciceronianis studiis provehendis, maximas gratiarum actiones exhiberes, ob solemniter editam Apostolicam Constitutionem, quae, a verbis "Veterum Sapientia" incipiens, ad linguae Latinae honorem et cultum respicit.

Puto equidem, fore ut sive tu, sive isti docti viri haud pa- rum gaudeatis, cum noveritis Christi Vicario observantiae ve- strae testimonia peraccepta sane ac periucunda contigisse, si- quidem inde iterum iterumque agnovit, quo animo, quo studio, qua denique voluntate antiquam semperque vividam Latii linguam, humanitatis cultus vinculum praesidiumque, certatim prosequami- ni atque colatis.

Quoniam vero grata urbanitate in Beatissimi Patris illius diei memoriam reduxisti, quo frequentes viros, Ciceronianum Con- ventum celebrantes, coram admisit eosque allocutus est, scito id Summum sacrorum Antistititem sincera afficere laetitia: Qui vo- bis paterna laude iisdem verbis gratulatur "de praeclaris stu- diis, in quibus acriter et diligenter versamini", atque animum

Exc.m^e et Ill.m^e Domino
D.no IULIO ANDREOTTI
Collegii Ciceronianis Studiis
provehendis Praesidi

ROMAM

per me addit ad ea servanda et colenda "semper mansura et firmissima bona, ob quae conditi sumus, sine quibus recte et feliciter vivere non possumus" (Discorsi Messaggi Colloqui, I, pp. 234-5).

Quae omnia candida et felicia vobis percipiens, Sanctitas Sua tibi ceterisque sodalibus praeclari istius Collegii supernorum bonorum affluentiam precatur, atque expectam Apostolicam Benedictionem, propensa^e Suae voluntatis pignus, peramanter impertit.

Id vero tecum communicans, ea qua par est existimatio-
ne me profiteor

Tibi
addictissimum

H. J. Card. Cicognani